

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2019-2020

À rendre avant le mardi 15 octobre (casier au DSA)

Version latine n°2 : Néron chanteur, entre trac et paranoïa

Cantante eo ne necessaria quidem causa excedere theatro licitum est. Itaque et enixa
quaedam in spectaculis dicuntur, et multi taedio audiendi laudandique clausis
oppidorum portis aut furtim desiluisse de muro, aut morte simulata funere elati. Quam
autem trepide anxieque certauerit, quanta aduersariorum aemulatione, quo metu
iudicum, uix credi potest. Aduersarios, quasi plane condicionis eiusdem, obseruare,
captare, infamare secreto, nonnumquam ex occursu maledictis incessere ac, si qui arte
praecellerent, conrumpere etiam solebat. Iudices autem prius quam inciperet
reuerentissime adloquebatur, omnia se facienda fecisse, sed euentum in manu esse
Fortunae ; illos ut sapientis et doctos uiros fortuita debere excludere ; atque, ut auderet
hortantibus, aequiore animo recedebat, ac ne sic quidem sine sollicitudine,
taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia et malignitate arguens
suspectosque sibi dicens.

In certando uero ita legi oboediebat, ut numquam excreare ausus sudorem quoque
frontis brachio detergeret ; atque etiam in tragico quodam actu, cum elapsum baculum
cito resumpsisset, pauidus et metuens ne ob delictum certamine summoueretur, non
aliter confirmatus est quam adiurante hypocrita non animaduersum id inter
exultationes suclamationesque populi. [...] Ac ne cuius alterius hieronicarum
memoria aut uestigium extaret usquam, subuerti et unco trahi abicique in latrinas
omnium statuas et imagines imperauit.

Suétone